



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 108. Francisci Riberæ mors.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

**Sæcul. XVI** Mariæ in Cosmedin creatus est, anno  
A.C. 1591. Salutis nostræ millesimo quingentesimo  
 septuagesimo octavo: regnante autem  
 Sixto V. Presbyter Cardinalis nomi-  
 natus pluribus maximi momenti nego-  
 tiis præficiebatur: denique die vigesima  
 secunda Decembris hoc anno Romæ  
 paucis ante Innocentii IX. obitum die-  
 bus mortem oppetiit, postquam non  
 nisi quinquagesimum primum ætatis  
 suæ annum, paucosque dies attigerat,  
 sepultus in Ecclesia sancti Alexii, quem  
 titulum postremo assumpserat, ubi illam  
 Ecclesiam multis reparationibus, ac  
 locupletissimis ornamentis decoraverat.  
 Interfuit etiam sacris quatuor postre-  
 mis Purpuratorum Comitiis.

### §. CVIII.

#### *Francisci Riberæ mors.*

**Alegamb.** Inter Scriptores Ecclesiasticos, qui hoc  
**de Script.** anno deceperunt, præter Claudium  
**Soc. Dupin** Sanctum, cuius supra meminimus, in-  
**Bibl. Sæc.** super recensendi veniunt Franciscus de  
**XVI. p. 364.** Ribera, & Edmundus Augerius Jesuitæ,  
 necnon Aloysius, & Gravius. Ex his  
 Franciscus Ribera Villacastini in Segobiensi Hispaniæ ditione natus in Uni-  
 versitate Salmanticensi literis operam  
 navabat, præcipue vero ad peritiorum  
 sacræ Scripturæ cognitionem lingua-  
 rum studio sese impendebat, cum tanto  
 laboris

laboris sui compendio, ut inter cele- Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.  
berrimos ævi sui Theologos nominare-  
tur. Postea Sacerdotio initiatus in pa-  
triam suam revertebatur, ubi anno  
Christi millesimo quingentesimo septua-  
gesimo, ætatis vero suæ trigesimo tertio  
Societatis institutum amplexus fuit,  
atque expleto Novitiatus curriculo Sal-  
manticæ sacram doctrinam tradere ju-  
bebatur, quo in munere sexdecim an-  
nos cum ingenti applausu impendebat,  
tandem vero mense Novembri nonnisi  
quinquaginta annos natus obiit. Porro  
ex operibus ab ipso elucubratis præci-  
pue laudatur commentarius in duode-  
cim minores Prophetas, ubi simul hi-  
storicum, allegoricum, & moralem sen-  
sum explicat: porro hujus commentarii  
compendium Salmanticæ typis impres-  
sum prodiit: insuper scripsit Commen-  
tarios in epistolam divi Pauli ad He-  
bræos, necnon in Apocalypsin, & Evan-  
gelium sancti Joannis: præterea latino  
sermone edidit librum Antverpiæ im-  
pressum de templo Jerosolymitano, om-  
nibusque ejus partibus, ex quibus con-  
stat: postremum vero illius opus erat  
sanctæ Theresiæ, cujus conscientiam  
moderabatur, vita Hispano idiomate  
conscripta.